





10
Q. D. B. V.

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI
FRIDERICI AVGVSTI

De

1710 46
6
P 528.
SAPIENTIA
AEGYPTIORVM,
EXERCITATIO SECVNDA,

Quam

INDVLTV AMPLISSIMI SAPIENTVM ORDINIS

d. Jun. A. R. S. c. 15 15 CCX.

HORIS ANTEMERIDIANIS

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO

publice tuebuntur

PRAESES

M. ISRAEL Trau-Gott
GARMANN,

Chemnicensis, Alumnus Electoralis,

&

RESPONDENS

GVILIELM. RVDOLPHVS KOCHIVS,

Seruefta-Anhaltinus.

VITEMBERGAE,

Typis MARTINI SCHVLZII Acad. Typogr.



ERICH AVGVSTI

SARIENTIA

ABGYPTIORVM
EXCHATO SECVDA

EDITV ANNESE

ISRAELI

ANN

GUILLIEMVS

MARTINVS



§. XV.

PEdem nunc promouemus ad alteram Ægyptiacæ sapientiæ partem examinandam, quæ est SCIENTIA NATVRALIS siue PHY-
 SICA, quam in primis excoluerunt Ægyptii. Altera Ægyptiacæ
 Sapientiæ pars, SIXTI SENENSIS uerba sunt, quæ principia, causas,
 elementa, et opera rerum naturalium pertractat, Physica appellata,
 non multum à Peripatetica Philosophia differt. Nam et materiam
 ponunt principium rerum omnium, et ex ea deinceps discreta quatuor
 elementa: ex quibus mixta omnia et animalia oriuntur: Coelum ad
 sphaeræ similitudinem esse rotundum: stellas omnes quasi colorem
 igneum habere, cuius temperatis commissionibus cuncta super terram
 nascantur: Planetas f. errantia sidera suas habere animas, pluias
 ex aeris mutationibus fieri, itemque alia bis similia. Haec Sixtus.
 Quæ omnia egregie illustrantur oratione, quam de Nili ortu & incre-
 mento ad Juliû Cæsare Sacerdos Ægyptius Achoreus apud LYCANVM a)
 habuit. Illud uero in Sixti uerbis reprehendit LAMBECIVS β) quod as-
 seruerit, Philosophiã naturalem Ægyptiorum non multum fuisse diuersã a
 Philosophia Peripatetica, contrariû enim inuictis argumentis demonstra-
 tum dare pollicetur, ueterem illam Ægyptiorum Philosophiam naturalem
 longe maiorem cum Pythagorica ac Platonica, quam Aristotelica Philoso-
 phia cognationem habuisse, qua de re accuratius agere constituit Lib. II. c.
 XIII. Sed intra conatum subtitit labor, dum nihil dicto loco præter-
 quam sciagraphia leuis auido Lectori exhibetur. Et sane cui constat
 quod Pythagoras per XXI. et Plato per XIII. annos literarum causã in
 Ægypto fuerint commorati, Aristoteles uero, in expeditione bellica A-
 lexandrum M. secutus, uix prima Ægypti limina salutauerit, ille facile in
 Lambecii concedet sententiam, quod, si de Ægyptiorum Philosophia ex
 discipulorum placitis et scriptis iudicium ferendum sit, commodius id
 fieri possit ex Platonis et Pythagoræ, quam Aristotelis scriptis. Proba-
 bimus hanc conuenientiam uno atque item altero dogmate. Sic illa
 de Ideis doctrina, referente KIRCHERO γ) ab Ægyptiis et Chaldaeis
 originem inuenit, a quibus Orpheus, Aglaophemus et ab his Pythago-
 ras haustam eam Graeciae intulerunt, quam summo studio cultam
 Plato denique ad posteros transuexit, ut proinde falsissime hanc doctri-
 nam Socrati adscribat Aristoteles. Sic mundum credebant Ægyptii a-
 D
 niaman-

a) lib. X. Pharfal. v. 193. sq. β) Prodr. Hist. lit. lib. I. c. VII. γ) Tom. II.
 Oed. p. 523.

nimantem, & quidem ab hac anima omnem dependere motum contende-
bant: quam doctrinam, auctore eodem *Kirchero*, l. c. professus quo-
que est *Plato*, cui haec anima mundi *fatum in substantia*, dicatur. Sic
dogma de animarum reuolutione Pythagoreos cum Ægyptiis commu-
ne habuisse paulo post probabimus infra. Atque huius farinae plura, si
institutum hoc pateretur, congerere huc possemus. Sed persequendum no-
bis ordine disputationis nostrae filum, atque per praecipua SCIENTIÆ
NATURALIS capita eundo demonstrandum, quo usque in cognitione
rerum naturalium peruenerint Ægyptii. Parum ceteroquin nos mo-
ratur illa CONRINGII dubitandi ratio, qua Ægyptios arguit, quod in
explicandis rerum causis admodum infelices fuerint, dum per longum
satis tempus de incremento Nili fluctuarint; partim, quod illam com-
mode et opportune refellit et diluit BORRICHIVS, partim, quod con-
trarium ex progressu huius doctrinae unumquemque facile perspectu-
rum esse spero.

§. XVI.

Mundum igitur, ut ab hoc dicendi initium capiam, a Deo esse
productum, cumque aliquando interiturum, priscis Ægyptiis placuit.
Habent de mundi ortu ex illorum sententia quaedam et *Diodorus* lib. 1.
ab initio, et *Manerbo* apud *Diog. Laert.* in Prooem. et *Porphyrius* apud
Euseb. et *Firmicus* lib. II. c. II. ubi neque ordinem, quem in mundi
creatione a Deo obseruatum fuisse ex historia Mosis cognoscimus, pror-
sus eos ignorasse ad oculum pater. Productionis uero modum et rationem
quod attinet, hanc, teste *Porphyrio*, statuebant: τὸν δυνεγγὺν siue ef-
fectricem illam rationem, quae ab illis *Cneph* appellari solebat, ex ore
effudisse ouum ingens, quod mundum significet, quod in duas dissilierit
partes, coelum nimirum et terram, de quibus prolixius CONRINGI-
VS l. c. p. 126. et B. meus *Parens* in *Dissert. de ouo humano*. §. 2. 3.
dixerunt. In qua quidem sententia uel ipsam originem, uel saltem ma-
nifesta deprehendimus uestigia Fanatici illius commenti, mundi eman-
ationis ex Deo. Si quid de cetero affine habuerunt cum Mosaicis, non
ex propria sibi quadam ingenii solertia habuerunt, sed potius ab anti-
qua traditione promanauit. Quantumuis enim eos ingenio ceteras
omnes gentes antecelluisse contendas, nunquam tamen uel creationis
ordinem, uel ea, quae de *Verbo Opifice* ipsis constituisse nonnulli affir-
mant, suis inuenissent ratiociniis. Id quod etiam de reliquis, si quid de
mysteriis sacris compertum habuerunt, affirmare debemus. Detesta-
mur

mur interim illam de *mundi anima*, cuius in antecedenti §. mentionem iam inieciimus, *fabulam puridissimam*, quam Plato et Orpheus in eorum scholis auide exceptam, magno applausu posteris tradiderunt, ita ut et nunc quoque hanc mundi animam a Fanaticis, tanquam alteram Helenam, nunc sub spiritus uniuersalis et Archæi nomine, nunc sub Numinis Cosmici siue sublunaris larua, nunc sub Principii Hylarchici et Calidi omniscii Hippocratei denominationibus in scenam produci proh dolor! uideamus. Quibus tamen mascule obuiam iuit Magnus Dominus D. LOESCHERVS Antistes Dresdenfis, Præceptor meus nunquam mihi sine maxima animi ueneratione nominandus, in *Prænotionibus Theologicis* p. 52. & p. 97.

§. XVII.

Cognita hoc modo Ægyptiorum sententia de mundo, utpote communi omnium rerum creaturarum subcoelestium domicilio, pergimus ulterius ad ipsa creaturarum regna, et breuiter illorum opiniones, quas in explorandis illis sibi reddiderunt familiares, exponimus, progredientes ab imperfectioribus ad perfectiora, a mineralibus ad uegetabilia, et ab his tandem ad animalia. Mineralia igitur Ægyptios, metalla, terras et lapides cognouisse, & in usum traxisse, habuisse præterea cognitionem modorum quibus *Chemice* illa tractari debeant, BORRICHIVS, d) frendente licet CONRINGIO, e) multis argumentis adstruit. Habuit a Deo inprimis hoc beneficium Ægyptia tellus, ut omnis generis mineralia, metalla et lapides ipsa produceret. De *Sale* audiamus PLINIVM: *Circa Memphim*, inquit, *extrahunt lacu salem, dein sole siccant*. Et HERODOTVM in *Melpomene*: *In supercilio solis*, inquit, *a Thebis Ægyptiis ad columnas Herculis, ferme decem dierum itinere, grandes iucundi salis grumi existunt*. In hoc latere aliquid malignum ὄπερ Φοσφόρου statuisse Ægyptios, Conringius suspicatur, quandoquidem illo Sacerdotes abstinerint, et mensis illud inferre noluerint. Sed aliam longe suppeditat rationem *Plutarchus* libro de *Iside*. *Salem*, inquit, *cibus detrahunt, quo tempore pure uiuunt, quia sal bibulus magis et uoracior facit*. Facessat igitur hæc ipsa Conringii imputatio. Nitrum quod Ægyptus dederit, fidem faciunt illa STRABONIS: ὃ Ultra Memphim sunt nitri fodinae duæ, quæ nitrum ferunt plurimum, atque inde dictus est Nomos Nitriotis. Alumen

D 2

Ægy-

d) l. c. c. VII. n. 1. p. 146. n. 2. p. 152. e) l. c. Cap. XI. p. 100. ὃ) libr. XVII.

Ægyptium probatissimæ notæ laudat PLINIVS, *η*) ut alia multa in præfenti prætereâ. Si lapides rariores quaerimus, in magna quoque copia sup-
peditat illos Ægyptus. *Marmor* a diuersi coloris effodiebant, teste PLI-
NIO, *θ*) ex quibus pyramides, obeliscos et sepulcra extruebant. Similiter
Alabastrum ex infimis terræ caucis eruebant, ex quo uasa unguentaria et
mortaria conficiebant. Nec nobiliores gemmae demum, quales sunt
Adamantes, Amethysti, Carbunculi, Smaragdi, Topasii &c. deer-
rant Ægypto, id quod laudatus *Plinius* per multa capita ostendit in
Historia naturali libr. XXXVII. Neque demum metallis nobiliori-
bus auro et argento a benigna matre natura se defraudatam esse exper-
ta est Ægyptus, qua parte in montosa et ardua surrexit. Duæ in-
primis materiae erant, ex quibus aurum et argentum extrahere noue-
rant, *limus* nimirum, siue *terra nilotica*, quæ maxime aurois scatobat
arenis; et *saxifodinae*, quæ supra Thebanam præfecturam, et per o-
mnes circumuicinas regiones, auro potissimum turgidae magno nu-
mero reperiebantur, de quo DIODORVS, utpote qui omnia propriis
oculis perlustrauit, non sine fructu conferendus est. In naturam uero
horum mineralium, lapidum et metallorum, quo intimius eam per-
noscerent, penetrabant egregio illo instrumento scrutandi naturæ CHY-
MIA, utpote quam olim in Ægypto uiguisse inficiari nemo potest.
Confirmauit id plurimis argumentis, et ad nauseam usque saepius lau-
datus *Borrichius*, tum in libro de ortu et progressu Chymiae, tum de
Hermetis, Ægyptiorum et Chemicorum sapientia. Hanc in arca a
Chamo, quam primum Ægyptiorum regem faciunt, conseruatam, et in
Ægyptum translata esse gloriatur, quam deinceps a *Mesraimo* Cha-
mi filio et *Hermete* traditam seruaerit et coluerit posteritas. Atque
inde etiam a *Chamo* artem *Chymiam* nuncupatam esse quidam autu-
mant, cuius sententiae auctores laudare possumus KIRCHERVM et
BORRICHIVM. Eo usque uero in hoc Chymico studio peruenisse
dicuntur, ut artem quoque *χρυσωσαντας* calluisse eos a nonnullis
confidenter asseratur. Quibus quidem patrocinari uidetur illud, quod
SVIDAS in *Diocletiano* refert: *Diocletianum cum eo regnante, Æ-*
gyptii res nouas molirentur, conquesta omnia ueterum de argenti et
auri fusione scripta flammis tradere iussisse, ne ex illa arte ditati Æ-
gyptii, pecuniis freui, Romanis impofterum rebellarent. Verum si
iudicio *Kircheri* his hæc decidenda foret, prorsus hæc ars Ægyptiis deno-
ganda

η) lib. XXXV. c. XV. *θ*) lib. XXXVI. c. VII.

ganda esset. Agit de hac re tum in *mundo subterraneo*, i) tum in *Oedopo Aegyptiaco*, & ipsis concedit quidem, quod ex omnibus terrestribus materiis, summa ingenii industria praeparatis, aurum et argentum extrahere nouerint, metalla uero ignobiliora in nobiliora transmutare, haec plane ignorauerint. At quanquam haec *Kircherus* habet, tot tamen in medium affert argumenta speciosa *Borrichius*, ut malleus in huius, quam illius transcendere sententiam; cui quoque ad stipulari uideatur illustre Academiae huius Sidus, Magnificus Dominus D. ROESCHLIUS in Exercitatione de *Telesarum & Myseriorum traditione An. 1700* lib. VIII. in hac Acad. habita.

§. XVIII.

Sed in his non acquieuit Aegyptiorum in obseruanda naturae maiestate insatiabilis cupiditas, uerum etiam in inuestigandis, quae in herbis, plantis, fruticibus atque arboribus latent, qualitatibus ac proprietatibus singulis nihil non egerunt. Ab his BOTANICES cognitionem ad Europaeos primum transiisse O. BORRICHIVS ii) multis argumentis demonstrauit, qui et integrum catalogum plantarum et herbarum Aegyptiarum, agris corporibus salutarium, quarum feracissima teste *Diodoro* et *Theophrasto* λ) Aegyptus erat, ex scriptis Graecorum Latinorumque confecit atque adornauit, id quod et antea iam tentauerat *Kircherus* Tom. III. Oed. Aegypt. p. 69. Videntur autem, CONRINGII μ) iudicium allegamus, tribuisse herbis plane eximias, et uim naturae excedentes facultates, euentu interdum indubie expectationi respondente, ut ut fuerint saepe frustrati. Ita medicamen illud, quod sua quoque aetate adhuc usurpasset Diospolitanae Aegypti mulieres scribit *Diodorus* lib. I. p. 87. olim uero Helena ex Aegypto acceperat, ηηωνθεις et αχολον, supernaturali quadam egit facultate. Non enim a natura ulli rei ista uis indita est, quam Helenae pharmaco *Homerus* ν) attribuit:

Κοσμεα ἀρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἐνθεν ἔπινον

Ἠηωνθεις τε αχολόν τε, κακῶν ἐπιλήθδων ἀπαράτων.

Huic uero primo regerit *Borrichius*, ξ) Homacrum more Poëtarum quandoque rem in maius extollere: et deinde, salua naturae maiestate, id omne hodie quoque *narcotica* praestare, quod a *Nepenthe* suo

ξ) lib. XI. l. c. I. p. 250. Tom. II. p. 250. η) c. IV. l. d. n. 3. p. 109. λ) lib.

IX. c. XV. μ) l. c. l. l. c. XI. p. 103. ν) Odyss. d. v. 220. p. m. 112.

ζ) Diss. de Ortu et progr. Chym. p. 58. et de Herm. Aegypt. c. IV. n. 5. p. 118.

expectauerit *Homerus*, in quem numerum et *Maslaeb* Turcarum, et *Goensium* pellicum *daturam* referri debere existimat. Lectu digna sunt, quae de hac datura laudatus auctor ex *I. Hugone LINSOTANO* o) uerba adducit; *Ex semine Duroae* (A. Daturae) herbae succum educunt foeminae, quem deinde potui miscent, maritisque propinant. Illi uelut emotae mentis homines in risum soluuntur, sine apprehensione ullius rei, aut somno occupantur, ueluti animae expertes. Tum parata securitate libidinis, praesente marito, eoque tamen non recognoscente, coniugem amator dedolat. Durat aliquando potionis huius uis per uiginti quatuor horas. Ablutis autem frigida pedibus, praesens sensus redeunt, nulla tamen altiarum rerum tempore illo potionis memoria, & quae sequuntur. Ceterum copiose de hac re disserit *Petrus la SEINE* in opere, quod inscribit: *Homeri Nepenthes*, siue de abolendo luctu liber. Herbarum uero et plantarum proprietates examinaturi Aegyptii, nullas alias, quam quas patrium solum ipsis suppetitabat, exteris & peregrinis ueluti degeneris naturae repudiatis, scrutabantur. Rationes igitur quod attinet, quibus Aegyptii in abditarum qualitatum in herbis latentium notitiam peruenerunt, erant uariae, quae apud *Kircherum* ordine recensentur. Curiosissima inter eas (an accuratissima itidem, nolo decidere) mihi illa uidetur, qua beneficio et ministerio quinque sensuum uirtutes singulis plantis inhærentes addiscebant. Sic *Visu* ex colore albo, flauo, rubro, puniceo, flammeo, purpureo, uiridi, coeruleo, pallido, cinereo, nigro, qui omnes diuersas temperamentorum in plantis abditorum rationes aperiebant, cognoscere studebant. *Auditu*, ex sono, quo percutiebantur, acuto, graui, tinnulo, obtuso, aspero, leni, compaginatae stirpis temperamentum discabant. *Gustû*, ex sapore earum, acri, acerbo, acido, amaro, dulci, falso, pingui, austero, de plantarum uiribus iudicabant. *Odoratu* quoque de odore earum molesto, grato, inamoeno, obtuso, suauis, stiptico, pungitio latentes qualitates aperiebant. *Tactu* denique ex leuitate, asperitate, mollitie, duritie, scabrositate, & hirsutiae uirtutes occultas capiebant. &c. Atque ex hisce manifestis sensui qualitibus de caliditate, frigiditate, siccitate, et humiditate iudicabant. Quae omnia pluribus persequitur *Kircherus*, quem uide. Multo felicius uero uniuscuiusque plantae naturam et indolem assequerentur subsidio *CHYMIÆ*, utpote qui teste denuo *Kirchero*, l.c. p. 430. *Elixir* quoddam, siue *quintam Essentiam* ex praestantissimis materiis

extra-

a) Nauigat. Orient. c. XXXL

extrahendi rationem calluerunt, quod et *Coelum et animam solarem* ob summam subtilitatem et perfectionem appellabant, et quod tam eminentis uirtutis fuit, ut omnibus morbis profigandis non modo aptum esset, sed et cuiusque defillatae ex quibusuis herbis aquae affunderetur, uirtutem eiusdem, quae certum aliquod corporis membrum respiciebat, in decuplum augmentaret. Superstitioni autem debebatur illud herbarum ac plantarum examen, quod per somnia instituebant. Illi enim de cura alicuius morbi consultaturi, ante quam lecto se committerent, animo prius rite per lustrationes uarias disposito expiatoque, complures plantas & flores certis characteribus notatos ante se ponebant, numina sollicitantes, ut, quae ex dictis herbis ad morbi medelam conducerent, per somnia monstrarent, qui deinceps, quae in somnio occurrisset, illam ad curam morbi diuinitus demonstratam arbitrabantur. Quamquam igitur ob haecenus allata confiteri necessum habemus, quod nonnunquam multa superstitiosa insimul in hanc laudatissimam alioquin *Botanicam Aegyptiam* irrepserint, quod in illa temporum miseria mirum non est: interim tamen ex ceteris adductis simul constare opinor, hoc non obstitisse, quo minus multa etiam praecleara ad augendum *Florae* decus, et humanam sanitatem procurandam ingeniose inuenerint Aegyptii, atque supra omnium gentium solertiam suo tempore inquirendo in naturam rerum, gloriose assurrexerint.

§. XIX.

At in natura animalium indaganda solertes quoque extitisse Aegyptios iterum *Borrichius* w) abunde demonstrat. Ad hominum productionem et originem igitur quod primo attinet, haec ipsis fuit persuaasissima sententia, illos in prima omnium rerum origine primum in Aegypto productos, partim propter coeli temperiem, partim propter Nilum. Nam nec hybernis frigoribus nec aestiuis solis ardoribus regio premitur, et terra irrigatione Nili sic foecunda est, ut alimentorum ad usum humanum nulla terra sit feracior, quae uerba *Sixti Senensis* sunt l. c. Fusius illarum mentem explicat *Diodorus*, modum pariter indicans, quo homines fuerint primum producti. Quod terrae, inquit, concreuerunt multi humores, in quibus contactae sunt purredines, quaedam tenui pellicula, quae uirtute solis ad summam productae, adueniente ueluti paruis tempore, exiit cor fractisq; pelliculis educunt, omnis generis animantium formas. Et paulo post: Juxta Thebaidem Aegypti, cum Nili cessauit inundatio, calefaciente sole, limum ab aqua relictum, multis in locis

w) c. l. c. v. p. 135. 141.

eis ex terrae hiatu multitudo murium oritur. Quod ipsi argumentum satis firmum uidetur, ab ipso orbis primordio animantia omnia, et homines etiam similiter generatos esse. Equidem condonandum aliquid esse existimo ut *Aegyptiis*, sic *Diodoro*, utpote hominibus gentilibus, et sacrarum literarum ignaris, quando ob stupendum illum naturae effectum, cuius etiam *PLINIVS* ρ) meminit, in tales inciderunt cogitationes. At quod a *Christiano Philosopho* haec *Diodori* sententia approbetur, ut ab *Abrahamo MILIO* ϵ) factū, qui uerba ipsius perpendens, *imaginari hic licet*, scribit, *tauros et aues, tigres, leones et elephātes exclusos ex eiusmodi pelliculis fuisse, uti alaudae, passerēs, columbae, anates et omne gallinaceum genus prodeunt ex ouis perrupto pertusoque rostris suis putamine*: profecto ut indignam tali persona opinionem notare debemus. Interim foecunditatem *Aegypti* testatur, quod septeni unico partu edi referantur a *Trogo*, quo de si placet confer *B. mei Parentis* discursum *de gemellis & paru su numerosiore*. c. III. §. 9. Quae foecunditas ex eorum opinione plurimum obtigit ob foecundum *Nili* potū. Laudabantur enim aquae *Nili* antiquis non tantum a sapore, sed et foecunditate. Saporē quod spectat, ex eo colligitur, quod *Imperator Pescennius niger*, cum apud *Aegyptum* ab eo limita- mei milites uinum peterent, responderit: *Nilum habetis, & uinum quaeritis?* *Tanta enim*, subiicit *SPARTIANVS in eius uita, istius fluminis dulce do est, ut accolae uinum non quaerant*. Foecunditatem autem quod attinet, multa suppeditat *PLINIVS & SOLINVS* τ) quos uide. Sed ut ad hominis considerationem ex mente *Aegyptiorum* reuertamur, debetur ipsis ex sententia *Conringii* illa doctrina, quod homo sit *Microcosmus* υ) et paruus mundus, magnamque habeat cum *Macrocosmo* conuenientiam, quae tamen ut inutilis, inepta et uana ab eo reiiicitur, ex nullo alio fundamento, quantum quidem ego peruidere possum, quam quod *Julius FIRMICVS* ϕ) minus dextre et feliciter illam *Microcosmi* cum *Macrocosmo* tetigerit atque assecutus fuerit conuenientiam. Verum quasi nullus *Megarensibus* esset sapientior, et nullus *Firmico* felicius iudicet. Sane magno numero auctores adducit *Magnif. D. ROESCHELIUS* in *Exercitatione de Diuino in Microcosmo*, quae iam sub prelo sudat, & propediem publici iuris fiet, qui hanc maioris, et minoris mundi analogiam pinxerunt multo uerosimilius. Quo uero eo curatius *Aegyptii* interiorum animalium naturam contemplari atque perspicere possent, *ANATOMIAM* stu-

dioff-
 ρ) lib. IX. c. LII. ϵ) de orig. animal. & migrat. popul. p. 8. τ) lib. VII. c. III. Polihist. c. III. υ) lib. I. c. X. de Herm. Med. ϕ) lib. III. Mathes. in Praef.

diostissime excoluerunt. Laudat hac in re ipsorum industriam et studium PLINIVS χ] quando asserit: Ipsos reges corpora mortuorum ad scrutandos morbos fecasse. Et Casp. BARTHIVS ψ] primos Anatomicos fecit Reges Ægyptios. Quema dmodum etiam de *Atthosi*, antiquissimo Ægypti Rege, tradit *Manethos* apud *Eusebium* in *Chronico*, artem medicam illum exercuisse, et libros conscripsisse Anatomicos. Ipse *Conringius* ω] quamuis ab Ægyptiis parum profectum in Philosophia humani corporis existimet, non tamen dicere audet, nihil eos huiusmodi doctrinae tenuisse. Causam uero exigui in anatomia profectus reiecit in id, tum, quod nimium superstitioni fuerint dediti, tum, quod in usum condendorum cadauerum saltim fuerit instituta sectio, omnis quae ad magnitudinem, figuram, situm, constitutionemque partium spectant: et deinde sectioni non ipsi medici uideantur praefuisse, sed ταρχέυται, quos medicorum nomine, neque *Herodotus*, neque *Diodorus*, dignatur. Ut ut haec de Ægyptiis *Conringius* affirmat, habet tamen quae ipsi opponat *Borrichius*, qui et locum e GALENO αα] allegat, quo Alexandriae Medicos ossium humanorum speciem auditoribus ante oculos tradidisse fertur. Interim non negandum quod et hic superstitionis suae nonnulla reliquerint indicia et uestigia. Huic enim debetur illa diuisio partium corporis in triginta sex, et opinio de totidem daemionibus, qui singularum partium singuli habeant curam, quibusque totidem herbae sacrari debeant, et quorum quemlibet postea in suae partis curationem innocabant. Quam superstitionem Pontificios imitari uidemus, dum singulorum morborum Patronos et sanctos habent, quos colunt et uenerantur, atque tempore angustiarum in auxilium uocant. Eiusdem farinae est quoque illa de pondere et augmento cordis explosa fabula, nec non de neruulo quodam a corde in digitum annularem sinistrae manus tendente traditio, ut inde a Graecis et Romanis annulo fuerit ornatus, quod ex *Appione* recenset A. GELLIVS ββ] et ab Ægyptiorum sacerdotibus confectis odoribus illitus, teste *Macrobio*, de quibus omnibus ex instituto egit B. meus Patens in opere *de Mirac. Morr.* lib. I Tit. VII. §. 2. p. 213. et lib. III. Tit. II. §. 141 p. 107.

§. XX.

Pertinet ad hominis formam anima, quam perennem et immortalem esse, eamque pro uitae merito s. praemia s. poenas expectandas necessum habere, Ægyptios olim tradidisse, nec ipse *Conringius* inficiari audet.

E

Hanc

χ] lib. XIX. c. V. Hist. nat. ψ] l. III. Aduers. c. IV. p. 110. ω] d. l. c. VIII. p. 69. αα] Tom. I. OO. f. II. de. Anat. adm. p. 4. ββ] N. A. I. X. c. XX.

Hanc uero e barbaris primum sententiam eos professos esse, commode ex *Herodoto* comprobare possumus: *πρώτοι δὲ, inquit ille, τὸν λόγον λέγουσι τοῖς εἶσω εἰ πάντες, ὡς ἀνθρώπων ψυχὴ ἀθάνατος ἐστὶ.* Atque ab his demum et ceteras nationes in hanc sententiam deductas fuisse, iudicat *Borrichius*, quam unam scientiam omnibus Stagiritae monumentis haud dubie praeclariorem censet. Quod uero ad originem animarum ex illorum sententia attinet, putabant in prima statim creatione omnes sphaeras animarum copius fuisse refertas, quae deinceps appetitu quodam tractae in generationis sphaeram descenderent, atque alas suas, quibus essent instructae ac praeditae, amitterent. Quae libet uero harum animarum post descensum uarias permutationes subire cogeretur; iam enim in aquatilia, iam in reptilia, iam in uolatilia, iam in homines migrare necessum habere; tum uero ex hominibus in daemones iterum transire, sique pia et beata manserit, alas iterum accipere, atque tandem in deorum choros feliciter reuolare. Erant autem ipsis animarum *alae* nihil aliud, quam insitus quidam animo igniculus, quem si quae uel per cupiditates carnis suppressere pateretur, tum eo diutius in corpore tanquam in carcere inclusa detineretur; uel uariis uirtutum exercitiis excitare studeret, tum eo citius redire posset ad Deum. Hinc corpus *mentis supplicium* Pythagorei dicebant, *coenum* itidem esse, in quo anima gemens haereat, contendebant: ex quibus turbidis & foetidis lacunis ille Pietistarum nostri temporis flosculus mutuatus mihi uidetur, quando corpus uocant *den Thier Mensch*, quemadmodum etiam iisdem illud de excitando in nobis *igniculo* et particula diuinitatis dogma periculosum acceptum referunt. Sed ut ad Aegyptios redeamus, ex hisce eorum opinionibus orta ipsis est illa de *animarum reuolutione* sententia, quam Graeci *μετεψύχασιν* *Pythagoricam*, ab auctore scilicet, qui primum ab Aegyptiis acceptam Graeciae intulit, *Pythagora*, uocant. Hinc est, quod adeo parui pendeat *Conringius* illam Aegyptiorum animarum immortalitatem; quod tamen imbecillitati humanae rationis tribuit *Borrichius*. Putabant autem animam quamdiu corpus putredinis esset experta, circa corpus uagari, corpore uero putrefacto, ne a putrilagine contaminaretur, in alia migrare corpora. Expresse enim *Herodotus* l. c. animam tradit, ex mente Aegyptiorum, non migrare in corpus aliud, nisi τὸ σώματος κατὰ φύσιν, id quod ut auerterent, postea illam durabilem cadauerum conditura moliti sunt. De qua re in libro *de Mirac. Mort.* lib. II. Tit. II. ex professo actum fuit. Hinc est quod defunctorum domos *aeternas* appellant,

larent, et propterea de structura domorum minus solliciti, in adornandis sepulchris eximie nihil studii relinquerent

§. XX.

Examinitis ita atque enumeratis Ægyptiorum placitis, quae de mundo inferiori, rebusque in eodem occurrentibus naturalibus, approbauerunt inaniter, uideamus nunc breuiter quam de superiori mundo, siue coelo, iidem fouerint sententiam. Atque hic quidem coelo figuram sphaericam competere, illudque uniuersali illo, quo uniuersus mundus, tanquam ab anima sua, regitur, spiritu moueri, qui suas uirtutes in primis per solem exsereret, asserabant. Quid uero in lunae aut ceterorum planetarum motibus definiendis praestiterint ueteres Ægyptii, ex *Diodoro* facile poteris diiudicare: *Hi*, inquit ille, *solis et lunae defectus accurate uidentur obseruasse, dum diuinationes ex his ita instituunt, ut singularem omnes euentus ἀδελφῶν τῶν αἰώνων praedicerent.* Et alio in loco, *Ægyptii*, inquit, *accuratissime siderum constitutionem et motum obseruant, planetarumque etiam motus et circuitus, et stationes, et uniuscuiusque uires circa ortus animalium, quae bona aut mala officiant, cupide et impense annotarunt, et saepe euenturos uitae casus praedicientes, hominibus uel pecoribus ingruituros, praesignificant.* Terrae quoque tremores et diluuii, ortusque cometarum, et quorumcunque humanam excedere facultatem uulgo putatur, ex longi temporis obseruatione praenoscunt, et quae sequuntur. Harum praedictionum astrologicarum siue artis genethliacae, cuius in priori disputatione iam mentionem fecimus, sed ob angustias pagellarum persequi ex instituto non potuimus, inuentores potissimum celebrantur *Necepsos* & *Petosiris* Reges Ægyptiorum, quorum utrumque laudat *GALENVS* γγ) quod ad certas regulas hanc artem reuocauerint, atque posteritati excolendam reliquerint. Pariter etiam *Julius FIRMICVS*, δδ) qui post *Dorotheum*, *Sidonium* et *Manzium*, hanc artem latine docuit, ueterum horum Regum duo egregia inuenta commendat, mundi scilicet Genituram et Zodiaci Decanos. De illa: *Diuini*, inquit, *illi uiri atque omni admiratione digni, Petosiris, Necepsosque, quorum prudentia ad ipsa secreta diuinitatis accessit, etiam mundi genituram diuino nobis scientiae magisterio tradiderunt, secuti Aesculapium & Anubim, quibus potentissimum Mercurii numen istius scientiae secreta commisit.* εε) De Decanis uero: *Singula*, inquit, *signa tres habent decanos. Sunt autem decani magni numinis et potestatis, per*

E 2
ipsos

γγ) de Simpl. Med. l. IX. c. XIV. δδ) lib. III. c. I. Methem. εε) lib. IV. c. XVI.

ipsosque prospera omnia ac infortunia decernuntur. Sic et Necepsus Ægypti potentissimus Imperator, optimus quoque Astronomus, per ipsius decanos omnia uicia ualitudinesque collegit, ostendens quam ualitudinem quis decanus efficeret: quia una natura ab alia uincitur, unusque Deus ab altero. Ex contrariis ideo naturis, contrariisque potestariibus omnium aegritudinum medelas diuinæ rationis Magisteriis ad inuenit. Haec Firmicus. Quae omnia pluribus persequitur MARSHAMVS (??) l. c. ex quibus, quae uera, quae falsa, nunc sollicitius disputare nolumus. Ceterum inter mysteria artis huius Genethliacae secreta referebantur, et teste Firmico, iureiurando cautum fuit, ne haec profanis uel imperitis auribus intimentur.

§. XXI.

Cum uero uirgultum quasi Philosophiae naturalis sit ARS MEDICA, et quo maxima Physices scientia tendat, de hac porro quaedam libare animus est, cum ex antiquissimis quibusque monumentis constet, hanc inter Ægyptios primum caput quasi extollere coepisse. Testatur hinc DIODORVS, Ægyptios medicinae auctores esse, et PLINIUS ηη) medicinam apud Ægyptios ex experimentis et factis in templis eorum repositis ortum habuisse, fuisse demonstrat. In specie uero suam Ægyptii Isidem, teste Diodoro, ut Φαριμακίων πολλῶν πρὸς ὑγίαν ἐυέτην laudant, quae omnis orbis ideo ueneratione digna esset, διὰ τὴν ἐν ταῖς Θεραπεύσις ἐπιφάνειαν, quae praeterea inuenerit τὸ τῆς ἀθανασίας Φαρμακίων, quo filium Orum. i. e. Apollinem, qui τὴν ἰατρικὴν καὶ τὴν μαντικὴν ab Iside matre edoctus est, non modo in uitam reduxit, sed etiam immortalitatis participem fecit. Post Apollinem Æsculapius, Memphites, artem medicam exercuit primus et amplificauit, qui ideo Pater non modo medicorum audit, sed et ob id inter primos hominum numeratur, qui opinione humana dii facti sunt, fuitque deinceps urbs Memphis praesentia Numinis Æsculapii clara, teste Ammiano Marcellino 99) Post modum adeo communis ars medica in Ægypto euasit, ut omnes Ægyptii uiderentur esse Medici, id quod tum Homerus u) tum Platonus) a lethali morbo in Ægypto per sacerdotes curatus, testimonis suis comprobant, dum iste sequentem in modum satur, πάντας ἀνθρώπους αἰγυπτίους ἰατρὸς εἶναι. Ille uero Poetarum Pater ita canit:

Ἰητρός δὲ ἕκαστος ἐπισημαίμενος περὶ πάντων

Ἄνθρώπων

Sec. XVI. p. 480. ηη) lib. XXIX. Hist. nat. c. l. 99) lib. XXII. p. 288. u) Odyss. δ. v. 230. κκ) Diog. Laert. in uita Platonis.

Ἀνθρώπων, ἣ γὰρ παήνορος εἰσι γενέθλης.

Ast multo clarius illud Herodorus (λλ) exponit his uerbis: ἣ δὲ ἰητρικὴ κατὰ τὰ σφί δέδασται μῆς νόσος ἕκαστος ἰητρός ἐστὶ, καὶ πλεονῶν πάντᾳ δὲ ἰητρῶν ἐστὶ πλεῖα. οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατεπέεασσι. οἱ δὲ κεφαλῆς· οἱ δὲ ὀδόντων. οἱ δὲ τῶν κατὰ νηδύν, οἱ δὲ τῶν ἀφανεῶν νόσων. h. e. *Iam uero medicina apud eos hunc in modum est distributa, ut singulorum morborum sint medici, non plurium: Itaque reserua omnia sunt medicis. Alii enim sunt oculorum, alii capitis, alii dentium, alii alui partium, alii denique morborum occultorum.* Sic igitur fiebat, ut singuli summo studio membri sibi commissi curam gererent, atque in medendo quisque esset copromptior, atque felicior. Quia tamen magna morborum unius ad aliud membrum connexio est, hinc lege tenebantur primo uniuersalem medicinam et Anatomiam addiscere, et tandem, sufficiente eiusdem notitia instructi, ad particulares morbos sanandos, pro inclinatione cuiusuis, animum adiiicere. Quo factum, ut et apud externos magna medicorum Ægyptiorum esset fama et existimatio. Cambysen enim Persarum regem petiisse sibi ex Ægypto medicum ocularium, et hunc ab Amasi rege missum, testis est Herodorus lib. I. Qui etiam narrat, Darium Histaspis ad femoris luxationem usum in Persia Ægyptiis medicis, infeliciter tamen. Ceterum refertur a nonnullis Josephus Patriarcha inter Medicos Ægyptios, argumento huius assertionis deprompto ex Gen. L. 2. Ex quo loco quamuis non satis colligi possit, ipsum Josephum medicinae operam dedisse, illud tamen exinde discimus, quod ad rem praesentem plurimum facit, et obseruatu dignissimum est, nempe temporibus Josephi medicinae studium iam floruisse in Ægypto, medicos item Ægyptios, quorum dicto loco mentio fit, suis se seruos, eosque tandem in primis munere, more Ægyptiorum, mortuos condiendi, perfunctos esse μμ) Erat autem, teste KIRCHERQV) Ægyptiis triplex medicinae institutum in usu. *Primum erat Physicum, siue Oeconomicum, quo per uegetabilis naturae remedia, omnibus communia, humani corporis infirmitates depellebantur. Secundum dicebatur εὐχαριστικόν, siue precatorium, quo per preces, hymnosque morbos quoslibet figurare se posse credebant. Tertium erat ποροφυλακτικόν, siue amuletarium, siue characteristicum, quo per figuras deorum, singulis morbis praefitutorum, uariis hieroglyphicorum Symbolis adornatas,*

perque

λλ) lib. II. c. LXXXIV. μμ) Lambecius in Prodr. Hist. lit. lib. I. c. VII. p. 59. vv) Tom. II. Oed. Aeg. p. 346.



perque adiunctam adiurationem deastris attractis, hominem pristinae sanitati, a quacunque demum infirmitate detineretur, restitui sibi persuadebant. Quod medendi genus totum erat Hieroglyphicum, et solis sacerdotibus Hieromanthis notum. Alias methodum medendi illum, quem obseruauerat communiter Aegyptii, studiose consignauit et exposuit DIODORVS (§§) cuius uerba transcribere hic non pigebit: *Morbos, inquit autem, uel ieiunio curant, uel uomitu, idque aut quotidie, aut tribus, aut quatuor diebus interiectis. Afferunt enim ex ciborum superfluitate omnes creari morbos. Eam ergo adualerudinem esse curam optimam, quae morborum principia aufferat.* Et porro: *Aegros secundum legem curant ab antiquis medicis comprobatisque scriptoribus traditam. Si quis normam sacri libri secutus infirmum sanare nequiuert, omni caret crimine. Si praeter ea, quae libris continentur, illum curauerit, morte punitur, et quae sequuntur.* At ita ordinarie procedebant in morborum curatione, quod si uero res prope modum cum aegris conclamata uideretur, & morbi pertinacia nullo, quod hominum solertia excogitauerat, pharmaco et remedio deprimi aut superari poterat, INCUBATIONIS ultimum adhuc ipsis supererat remedium. Nimirum in templum *Isidis* aut *Serapidis* ferri se patebatur aeger, ab *Iside* per somnium expectans auxilium, quum homines sanare ipsum nequiuissent. Credebant enim *Isidem* cum scientiae medicae aliquando, in uita adhuc superstes, fuerit peritissima, sic etiamnum extra sortem humanam euectam et elatam sanatione hominum gauisuram, et si quis opem illius expetierit, manifestam in somniis praesentiam exhibituram, promptaque remedia indigentibus subministraturam esse. Et sane plurimum id obuenire solebat, ut, dicam daemones, an sacerdotum astutiis fraudibusque, *Isidis* nomine responsa acciperent aegri, atque a morbis suis liberarentur, qui deinceps remedia illa, quae ipsis opinione sua ab *Iside* in somnio suppeditata profuerant, in tabulis publicis annotari curarent, ut, si quis deinceps pari laboraret morbo, idem ad sui sanationem adhibere posset pharmacum. Hinc nonnulli *Hippocratem* *Coum* infumulant, quod *Aesculapii* aede succensa, furto rapuerit annotata ibi remedia, iisque adeo magnum sibi comparauerit nomen. Plura interim qui de arte medendi Aegyptiorum desiderant, illi inuenient ad satietate usque multa collecta apud *KIRCHERVM*, (oo) *CONRIN-GIVM*, (ww) *BORRICHIVM* (pp) et denique *Prosperum ALPINVM*. 66)

§. XXII.

§§) Lib. I. p. 73. 74. (oo) Tom. II. Oed. p. 347. sq. (ww) lib. I. H. M. c. XI. p. 97. (pp) l. c. c. VII. p. 157 (66) de medicina Aegypt. per integrum.

§. XXII.

Superest, ut quaedam etiam recensamus de Aegyptiorum **MAGIA** illicita, utpote qua nihil in historicis, qua sacris, qua profanis, est frequentius. Ista iudicio *Conringii* (11) uel maxime obstaculo fuit causarum naturalium inuestigationi, postquam semel se superstitionibus irretiri, praestigiisque daemonum occaecari passi fuerunt Aegyptii. *Chamum* magiae illicitae huius auctore facit **FROMMANNVS**, (12) in qua sententia iam olim fuit *Berosus*, cuius uerba apud *Eusebium* haec sunt: *Erat autem ex tribus Noae filijs adolescentior Chem, qui semper magicae et ueneficae studens, Zoroastri nomen (quod magum interpretantur) consecutus erat. Is Patrem Noam odio habebat, quia alios ultimo genitos ardentius amabat, se uero despici uidebat. Itaque nactus opportunitatem, cum Noah pater madidus iaceret, illius uirilia comprehendens, taciteque submurmurans, carmine magico illudit, simul et illum sterilem perinde atque castratum effecit, neque deinceps Noah foemellam aliquam foecundare potuit.* His addo quae Cabbalisticae, nugantur: Chamum in arca Noacho Patri suos libros de magia naturali furatum, quos Misraimo filio donauerit. Quae si essent fide digna, cum certo nouimus Misraimum conditorem esse Aegyptiorum, satis iam constaret de magia Aegyptiorum etiam ante Mosis et Iosephi tempora, uti legimus *Gen. XXI. 8. & Exod. VII. 11. 12. c. VIII. 18. sq.* ubi illi uocantur, qui magiam exercuerunt, **כַּוְשִׁיטִים** sapientes, **כַּוְשִׁיטִים** praestigiatores, **כַּוְשִׁיטִים** *εσαοιδοι*, incantatores, uel artem in occulto et circa occulta exercentes, nullitando quaedam. In primis uero principatum quasi inter illos suo tempore obtinuerunt **JANNES** et **JAMBRES**, qui Mosis, Israelitarum dimissionem sollicitanti, praecipue se opposuerunt, ut refert **S. PAVLVS** ex *ἀρχαῖα* traditione *2. Tim. III. 8.* his uerbis: *ὁν ἑρώων δὲ ἱανῆς καὶ ἱαμβρέως ἀντίστοιχῶν Μωϋσῆ, κ. τ. λ.* Cuius antiquae traditionis Ebraeorum in eorum scriptis, scilicet *Ghemara Talmudica Cap. Col Corbanoth Harfibur*, et **R. NATHAN** in *Baal Haruch*, uestigia indicauit **Gilbertus GENEBRARDVS** in *Chronogr.* lib. I. p. 66. *Quando, inquit, uenit Moses in Aegyptum cum signis diuinitus acceptis, dixerunt יחנן Jannes et ימברס Mamre Principes incantatorum Pharaonis: Haec est ars nostra, et se facere possumus incantationibus nostris.* Haec uero ipsorum Magia in quo constiterit, prolixum nimis foret, hoc loco accurate recensere atque persequi, hinc remittimus **B. L.** ad **KIRCHERI** **ΦΦ** Opus saepius a nobis laudatum. Ceteras uero fabulas

(11) l. c. XII. p. 130. (12) lib. III. de fascin. P. III. S. II. c. II. §. 3. p. 505. **ΦΦ**, Tom. II, Oct. p. 437.

fabulas de colloquio antea dictorum Magorum cum Mose, de poenitentia illorum in librum apocryphum relata, nec non de libro sub horum Magorum nomine, qui inscribitur ספר יוחנן ומסרה, cuius *Origines* meminit, atque demum de ipsorum sepulchro a Daemonibus infestato, et offenso adhuc *Macarii* tempore in deserto Thebaidos, de quo *Palladius*, et ex eo *SPANHEMIVS* disserit, in praesenti consulto praetereo atque ommitto.

§. XXIII.

Praetereunda tandem silentio non est ONEIPOKITIKH, utpote quae, quod inter eos floruerit, nonnulla documenta ex sacris, speciatim ex Gen. XL. & XLI. adducere possumus. Hanc pro Philosophiae parte haud postrema non modo apud Aegyptios, sed et apud reliquas antiquissimas gentes habitam fuisse, Magnif. Dominus D. BVDDEVS l. c. auctor est, cum quo consentit LAMBECIUS, d. l., qui integrum propterea Catalogum scriptorum, qui omnes *ὄνειρονεγνῶτα* scripsere, subnectit. *Troio Pompeio* Josephus Patriarcha imprimis magicas artes in Aegypto didicisse, et *ὄνειρομαγείαν*, siue ut ipse loqui amat, *somniorum intelligentiam* primum condidisse fertur. Sed hanc imputationem satis superque discuit ipse Josephus, dum Gen. XLI. 16. Pharaoni somnii sui interpretationem petenti, ita respondet: בלערי אלהים יענה את שלום פרעה, h. e. sec. Verf. Vulg. *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* Quasi diceret: Non mihi arrogo hanc sapientiam, ut ex me ipso interpretari possim istiusmodi somnia. Dei est hoc opus, non humanae sapientiae, is per me, quasi per organum suum, declarabit tibi ea, quae facturus est ad regni tui salutem. Quod recte interpretatur *Lambecius* l. c. Non igitur negat Josephus se interpretaturum somnia, cum id mox fecerit: Sed ait, eam interpretationem sine naturali, et humana solertia, et sagacitate sua futuram, totamque ex reuelatione Dei prouenturam. Absit ergo existimemus Josephum prohibitae magiae operam dedisse, et *Onirocriticam*, quatenus pravae magiae species est, uel inuenisse primum, uel prae ceteris excoluisse. Quod reliquum est ob serpentum incantationes Aegyptii quoque famam suam nimium deturparunt, de qua re illustis locus est apud *ELIANVM*: Αgyptίους μαγεία τῶν ἐπιτοχῶν ἰσχυρῶς ἔχει, magica ratione illi genti propria, τὰς ὀφειδὰς ἐκ τῶν ἄρανδ' ἀναφέρειν, aues de coelo deducere, τῶν δὲ Φολέων τὰς ὄφεις ἐπασιδαῖς τισὶ καταγοητεύσαντες, εἶτα μὲν τοὶ προάγουσι πάντα, atque serpentes, carminibus quibusdam primum incantatos, et latibulis postmodum facillime extrahere, et quae sequuntur. Atque haec ita sufficient de Scientia Naturali Aegyptiorum. Sperabamus equidem nos hac Exercitatione absoluturos esse omnem, de Aegyptiorum sapientia, discursum, sed materiae amplitudo ac dignitas exigit, ut et *tertiam* subiungamus, ubi in Theologiam ipsorum atque Moralem Philosophiam D.


D! pro uirium nostrarum modulo, sumus inquisitur.

ULB Halle
005 361 77X

3







Q. D. B. V.

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI
FRIDERICI AVGVSTI

De

SAPIENTIA
AEGYPTIORVM,
EXERCITATIO SECVNDA,

P 528.

1710 46

6

Quam
INDVLTV AMPLISSIMI SAPIENTVM ORDINIS
d. Jun. A. R. S. cIo 166X.
HORIS ANTEMERIDIANIS
IN AVDITORIO PHILOSOPHICO
publice tuebuntur
PRAESES

M. ISRAEL Trau-Gott
GARMANN,

Chemnicensis, Alumnus Electoralis,

&

RESPONDENS
GVILIELM. RVDOLPHVS KOCHIVS,
Seruefta-Anhaltinus.

VITEMBERGAE,
Typis MARTINI SCHVLZII Acad. Typogr.

